



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 4. An Quomodo, quos, & quando votum obligat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**



Q. 4. *An, quomodo, quos, & quando votum obligat?*

*Resp.* I. Obligatio voti ex suo genere gravis est, ita ut ejus violatio in materia gravi sit mortalis. Ita omnes. Constat. 1. tum ex Psal. 49... *Redde altissimo vota tua.* & Eccles. 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stulta promissio: sed quodcumque voveris redde:* Et 1. Tim. 5. de viduis, quæ continentiaæ votum violaverant, dicitur. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* 2. Ex Traditione & sensu Ecclesiæ. 3. ex cap. 6. de voto. *Licet universis liberum sit arbitrium in vovendo, usque adeò tamen solutio necessaria est post votum, ut sine proprio salutis dispendio alicui non liceat resilire.* 4. Quia hæc obligatio pertinet ad gravissimam virtutem Religionis, qua quis tenetur reddere Deo obsequium promissum, & ab eo acceptatum; ideòque specialiter ipsi debitum. *Maximè debet homo Deo fidelitatem, tum ratione dominii, tum etiam ratione beneficii suscepti: & ideo maximè obligatur homo ad hoc, quòd impleat vota Deo facta.* Hoc enim pertinet ad fidelitatem, quam homo debet Deo. *Fractio autem voti est quedam infidelitatis species: unde Salomon rationem assignat, quare sint*



*sint vota reddenda: quia displicet Deo infidelis promisso.* ait. S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 3. Præterea violatio fidei Deo datæ in re gravi continet gravem irreverentiam in Deum, propter summam ejus majestatem.

Materia autem illa voti est gravis, de qua posset dari præceptum sub mortali obligans: seu quæ per se, vel ex circumstantiis notabiliter conducit ad honorem Dei, vel spiritualem utilitatem voventis. Hinc qui semel non implet votum jejunandi, continentendi, vel audiendi Sacri, &c. Peccat mortaliter; cum hæc materia gravis sit, & sufficiens ad mortale in præcepto Ecclesiæ.

Votum tamen, ex communi, aut fere communi sententia obligat solum sub veniali in re levi; quia votum est quædam lex privata, quam quis sibi imponit, & species quædam pacti: lex autem, & pactum non imponunt obligationem nisi proportionatam materiæ. Deinde omissio fidelitatis, & justitiæ in re parvi momenti non censetur gravis injuria, & offensa. Præterea res ex omni parte levis non est capax obligationis gravis: nec pendet à voluntate hominis obligationem gravem alligare rei, quæ non est capax illius. Nec Deus videtur acceptare talem obligationem irrationabilem. Unde qui vovisset singulis diebus anni dare unum assem pauperibus,  
 pec-



peccaret solum venialiter semel, aut bis  
omittendo. Secus si decrevisset non im-  
plere votum, quia materia talis voti col-  
lective sumpta gravis est.

Porro quamvis aliqui putent voventem  
posse in re gravi se obligare solum sub ve-  
niali, si expressè velit; (exceptis votis sta-  
tus religiosi, quæ sunt per se vota graviter  
in perpetuum obligantia, & nisi Ecclesia  
aliter statuerit :) tum quia, cum obligatio  
voti voluntariè assumatur, pendet à volun-  
tate voventis, nec ex lege divina oritur,  
nisi dependenter à voluntate promittentis:  
tum quia votum est lex privata, quam vo-  
vens liberè sibi imponit: Legislator autem  
potest in materia gravi velle tantum obli-  
gare sub veniali: Tamen constat voventem  
rem gravem obligari sub mortali, nisi  
expressè voluerit se obligare solum sub ve-  
niali; nam quisque censetur se accommo-  
dare capacitati materiæ, & usui commu-  
ni, nisi constet aliud expressè inten-  
disse.

Cæterum violatio voti, præter maliti-  
am irreligiøsæ perfidiæ, & infidelitatis erga  
Deum, involvit deformitatem sacrilegii,  
saltem secundum quamdam eminentiam:  
quia per voti violationem id, quod fuit  
Deo per promissionem dicatum, ei dene-  
gatur.

*Resp.* II. Quando non constat de alia  
speciali voventis intentione, non aliter  
obli-



obligat votum in quavis materia, quàm si esset Lex de ea re à Deo, vel ab Ecclesia lata; quia votum est quædam Lex, quam homo sibi imponit circa materiam illam promissam: imò fit communiter juxta hanc intentionem. Hinc votum jejunandi, audiendi Sacrum obligat ad modum præcepti Ecclesiastici de eadem re; ideòque eodem modo servandum. Et vovens excusatur à talis voti impletione in iis circumstantiis, in quibus excusaretur à præcepto Ecclesiæ, nisi contrarium expressè, vel virtualiter intenderit.

*Resp. III. Ex communi* votum personale solum voventem obligat, nec per alium impleri potest; quia res promissa est propria actio, vel omissio voventis, non alterius. Hinc si non possit illud per se exequi, non tenetur alium substituere, nisi id expressè intenderit. Votum verò reale obligat voventem ad persolvendum per alium de propriis bonis, si per se ipsum implere nequeat; quia res promissa est bonum temporale voventis, quod potest ejus nomine per alium tradi. Item hæredes, secundum omnes, tenentur exequi vota realia Defuncti secundum vires hæreditatis, salvâ legitimâ hæredis necessarii, ex cap. 6. *De testam.* & l. 2. ff. *De pollicit.* nam hæres debita bonis annexa solvereteneatur ex justitia, ratione rei acceptæ cum tali onere, & ex contractu implicitè inito  
per



per acceptationem hæreditatis: hæreditatem enim adeundo, sicut commoda ejus & omnia jura Defuncti acquirit, ita etiam debita, & onera realia bonis annexa in se suscipit. Bona autem Deo promissa, sunt ipsi speciali jure debita. Quod si sint plures hæredes, quisque tenetur pro rata, juxta portionem hæreditatis, quæ ei obtigit, nisi res debita, & legata possideatur ab uno, vel obligatio sit individua.

Idem est de voto mixto quoad partem, qua personale est, ac de voto personali: & quoad partem, qua reale est, ac de voto reali; cum sit verè personale quoad unam partem, & reale quoad aliam. Hinc obligat hæredes non qua parte personale est, sed qua parte est reale: ut si quis peregrinationem, & statuam argenteam, vovit, tenetur hæres ad statuam dandam, non item ad peregrinationem, nisi eam promiserit, aut hac lege hæres institutus fuerit.

Qui autem vovit factum alterius, tenetur curare, quantum potest, ut alter impleat: hoc enim censetur intendisse. Iste alter tamen nullatenus ad id tenetur, nisi consenserit; nam votum obligat eum solum, qui promisit. Hinc liberi non obligantur votis parentum, eos religioni devotentium, nisi ea rata habuerint, cap. 14. *de Regular.* Si verò populus vovit Festum, vel jejunium consentiente Episcopo, ad hoc tenentur posteri non vi voti, sed ex præcep-



cepto Episcopi approbantis, & ita implicitè præcipientis illud Festum, aut Jejunium.

*Resp.* IV. Impleri debet votum tempore à vovente præfinito; nam promissum tali tempore, unde illam tunc reddere tenetur. Hinc qui vovit jejunium tali die, peccat mortaliter, si eo die non jejunet, perinde ac si die ab Ecclesia statuto non jejunaret, quamvis proponeret alio jejunare. Quod si ex impotentia, vel negligentia votum tempore præfinito non impleatur, debet postea impleri, nisi ex intentione voventis, aut voti natura res promissa sit affixa certo diei in devotionem illius, ob honorem Sancti, vel mysterii, cujus tunc memoria celebratur: ut si quis voverit jejunium vigiliam alicujus Sancti principaliter in illius honorem; tunc enim obligatio cum die extinguitur; quia tunc intentio fuit se obligandi ad actum hoc tempore faciendum, non alio: & res promissa est dependenter ab hoc tempore, ac per modum unius. Quando autem tempus non ipsius temporis intuitu, & devotione constitutum est, censetur adjici ut terminus non ad finendam obligationem, sed ultra quem non sit differenda; & sic statim postea impleri debet. Nam cum voveris non ultra eam diem differre, es semper in mora differendo, & teneris semper implere: quia perseverat debitum quoad substantiam, du-



duasque obligationes contraxisti, unam faciendi opus, alteram faciendi tali tempore: unde hac non impleta, manet illa principalior, quæ semper urget.

Si verò nullo definito tempore absolute voveris, teneris votum exequi, quamprimum commodè, & rectè potes iudicio prudenti. Nam statim moraliter loquendo exigitur à Deo, ex Deut. 23. *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Et Eccles. 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere.* Deinde res absolute, & sine dilatione promissa statim debita est, ex l. 14. ff. de Reg. Jur. *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, presenti die debetur.* Igitur culpabilis est omnis mora, quæ rationabili causa non cohonestatur. Non est tamen continuò mortale differre ad valde breve tempus, modò votum brevi postea persolvi queat. Nam potest esse materiæ parvitas in mora illa, sicut in aliis rebus. Hæc omnia communem doctrinam continent. Porro si votum fuerit negativum, seu de omissione, toties peccatur, quoties fit actio omittenda: quia votum illud instar præcepti negativi obligat pro toto tempore, pro quo factum est, & omnis omnino omissio promissa est.



*Sed an vovens votum implere ante tempus à se præfinitum tenetur ob impedimentum futurum?*

*Resp. I.* Quando opus vovetur ut proprium onus certi diei, seu temporis, ex communi non tenetur vovens prævenire, etiamsi prævideat impedimentum pro illo die; quia non vovit actum, nisi tali die faciendum; unde ante illum non obligat votum. Idem dic, quando terminus, seu dies additur non solum ad differendam executionem, sed etiam ad suspendendam obligationem usque ad talem terminum; quia res non est promissa ante illum, nec vovens intendit se obligare, nisi ex tali die.

*Resp. II.* Quando terminus solum ponitur ad differendam solutionem, & non ad suspendendam obligationem, tunc ex communi vovens tenetur votum persolvere ante terminum, si prævideat impedimentum pro illo futurum; quia tunc votum statim, ac fit, obligat absolute, ut intra terminum designatum opus fiat. Unde obligat determinate pro illo toto tempore, pro singulis verò partibus quasi disjunctivè. Et ideo vovens tenetur absolute implere votum in aliqua parte hujus temporis: ergo si prævidet futurum esse impedimentum in posteriori parte temporis, tenetur in priori facere: quod est prævenire terminum.



num. Et alioqui contra promissionem dilatio fieret ultra tempus præfinitum. Item licet terminus temporis sit constitutus ad finiendam solutionem, si opus promissum non est proprium onus alicujus determinatæ partis totius temporis usque ad illum terminum, tenetur vovens implere votum ante terminum illum, si ante illum impedimentum prævideat: ut si quis vovit jejunare sex dies mensis, non designando illos, limitando tamen obligationem ad Mensem, ita ut cum illo extingatur in omni eventu, tunc si prævideat futurum, ut post primum diem mensis jejunare nequeat, tenetur in prioribus diebus totum votum implere, & ita prævenire terminum; quia tunc totum tempus mensis est tempus absolutæ obligationis, quæ debet impleri in parte ejus possibili. Quæ omnia confirmantur exemplo præceptorum, v. g. confitendi singulis annis. Ita Suarez, addens teneri voventem in omnibus casibus vitare impedimentum, ut votum suum tempore promisso impleri possit; nam votum obligat saltem implicite ad non ponendum impedimentum, cum hoc sit necessarium ad implendam rem expressè, ac directè promissam: alioqui obligatio voti esset inefficax, & inanis.

Q. 5. *Quid dicendum in dubio  
circa votum?*

Resp. Sequentia. 1. Nullus tenetur voto,  
Nn 2 tō,